


ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ORATIONES


AD ACADEMIAM PISANAM.

EJUSDEM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBRI DUO.



ROMÆ

Ex Typographio Paleariniano.

ANNO REP. SAL. CIↃ. CIↃCC. XLII.

CUM APPROBATIONIBUS.

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO,

ALEXANDER POLITUS DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM
S. P. D.



IQUA unquam est, BENEDICTE, PONTIFEX MAXIME, bonarum artium atque disciplinarum, quæ plurimùm ad rem Christianam contulerit, ea quidem certè in primis

JOSEPH AB ANGELO CUSTODE

CC. RR. Pauperum Matris Dei Schol. Piar.

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM librum, *cui titulus*: Orationes ad Academiam Pisanam, & Animadversiones in Eustathium ad Dionysium Periegetam a Patre Alexandro Polito *Religionis nostræ Sacerdote Professo duo ex nostris, quibus commissum fuit, recognoverint atque approbaverint; ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c.*

Datum Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 19. *Julii an.* 1742.

Joseph ab Angelo Custode
Præpositus Generalis.

Laurentius a S. Hiacyntho
Secretarius.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Archiepiscopus Tarsen. Vicesgerens.

APPROBATIO.

JUbente *Reverendissimo P. Nicolao Maria Ridolfi, Sacri Palatii Apostolici Magistro, summa cum animi voluptate legi* R. P. Alexandri Politi de Cler. Regul. Scholarum Piarum Orationes *ex iis nonnullas, quas ille de Eloquentia ceterisque optimis disciplinis pro munere suo habuit ad Academiam Pisanam*: binos *præterea* ejusdem clarissimi Viri Animadversionum in Eustathium Periegetam libros, *quibus Dionysium ipsum Periegetam, & antiquam Geographiam commodùm illustrat. Quæ proinde disertissimi omnique doctrinarum atque eruditionis genere præstantissimi Auctoris opuscula, tantum abest, ut orthodoxæ fidei bonisque moribus adversari dicam, ut potius doctis eruditisque hominibus maxime probatum iri sperem, si in publicam lucem emittantur. Ita sentio. Ex Bibliotheca Vaticana* VI. *Id. Jul.* MDCCXLII.

Joseph Simonius Assemanus
Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

APPRO-

APPROBATIO.

L*Egi Alexandri Politi viri doctissimi, & in Græcis atque Latinis scriptoribus mirandum in modum versati* Orationes ad Academiam Pisanam, duosque in Eustathium ad Dionysium Periegetam animadversionum libros; *ut Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici F. Aloysio Nicolao Rodulphio obtemperarem. Tantum autem absuit, ut quidquam in eis deprehenderim, quod aut a fidei Catholicæ dogmatis, aut a bonis castisque Ecclesiæ moribus discreparet; ut potius, quæ continen, omnia solide cumprimis ab homine tanto, accurate, distribute, summaque elegantia pertractata esse cognoverim. Itaque judico nihil in caussa esse posse, quo minus in lucem edantur. Ita censeo.*

Datum Romæ in Æd. Minerv. Idib. Jul. 1742.

F. Thomas Maria Mamachi Ord. Præd.
Sac. Theol. Professor.

IMPRIMATUR.

F. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ORA-


ALEXANDRI POLITI

DE CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

Orationes ad Academiam Pisanam.

ORATIO I.

De Litterarum Græcarum necessitate.




TINAM tantum mihi ingenii, Auditores ornatissimi, tantum esset eloquentiæ, quantum res ipsa postulat, ut in hoc celeberrimo, atque ad dicendum amplissimo loco, hac litteratorum hominum frequentiâ, hoc lectissimorum atque honestissimorum adolescentium concursu, verba ego facturus de linguæ Græcæ, atque adeo de litterarum Græcarum præstantiâ atque necessitate, parem argumento orationem invenirem! Nanque ipsa quidem argumenti magnitudo atque varietas, quo in argumento maxima sese ingenia sæpius exercuerunt, ipso statim dicendi initio, me ita perturbat ac propemodum obruit, ut, quid ego potissimùm dicam, penitus ignorem, &, quæ aliàs mihi, vel cum de gravissimis rebus disputarem, nunquam defuit, oratio hic me mea deficere prorsus videatur. Quid enim linguâ Græcâ ad omnem eruditionem accommodatius, quæ janua quædam est ad omnes disciplinas? Quid Græcis litteris uberius, atque copiosius? quid ad omnem doctrinam magis necessarium? quibus omnes doctrinæ uberrimè continentur. Nolite enim errare, adolescentes, qui huc Pisas, ad hoc domicilium, ad hanc sedem Sapientiæ, studio & ardore quodam animi incredibili, Sapientiæ ipsius addiscendæ caussâ, quàm frequentissimi convenistis. Nolite, inquam, existimare, cum de linguâ Græcâ agitur, leve quidquam agi, quod ad Sapientiam parùm pertineat. Agitur in linguæ Græcæ negotio summa universæ doctrinæ, agitur orbis omnium di-

sci-

terpretes quidem dici velim, utriusque linguæ parùm periti, illotis, ut ajunt, manibus, ad Græcos fontes aperiendos accesserint, unde lutulentæ ad nos spurcæque aquæ sunt derivatæ; non certè quidem propter horum istorum inscitiam, atque negligentiam, detrahendum est universo generi interpretum Latinorum. Odysseam Latinè transtulit Livius Andronicus. Euhemerum, qui historiam de diis scripserat, Latinum fecit Ennius. Platonis Protagoram & Timæum, itemque Aratum, & Xenophontis Oeconomica, Demosthenisque & Aeschinis adversarias orationes M.Tullius Latinè est interpretatus. Quid antiqua exempla commemoro? quando clarissima omnium sunt & testatissima recentiora. Quotusquisque enim est doctissimorum atque eruditissimorum virorum a trecentis ferè annis, idest, post litteras restitutas, qui non in Græcis Latinè interpretandis operam potissimùm suam posuerit, atque inde non sit summam ipse doctrinæ atque eruditionis laudem consecutus? Itaque, quantùm alii ad Græcæ linguæ præstantiam simul ac necessitatem extollendam Latinis interpretibus detraxerunt, tantum ego iis laudis, ad ejusdem linguæ præstantiam ac necessitatem augendam, impertiam. Nam ut summi illi viri in omni doctrinarum genere fuerint, ut artes liberales, disciplinasque universas, pro summorum Criticorum officio, egregiè calluerint, ut, propter eximiam utriusque linguæ peritiam, maximâ illi facultate ad Græcos scriptores enarrandos atque emendandos excelluerint; tamen Græcæ linguæ tanta est vis atque dignitas, tanta copia atque varietas, ut nec Tullius, nec quicunque alii summo ingenio viri, quæ dicta sunt a Græcis, omnia Latinis vocibus perfectè semper expresserint, neque verò exprimere aliquando potuerint. Unde, disciplinarum atque artium liberalium percupidi, perstudiosique adolescentes, tandem aliquando intelligatis, meliùs omnino vos Græca esse percepturos, si Græca ipsi per vos legeritis. Quod quidem satis superque esse arbitror ad id, quod ab initio demonstrandum susceperam, sine Græcarum litterarum adjumento nullo modo fieri posse eum, quem in unoquoque vestrum, optimi adolescentes, optamus ac quærimus, perfectè doctum, atque omnium omnino disciplinarum summè atque exquisitè scientem. Nec enim sperandum, quæ a Græcis de bonis artibus ac disciplinis sunt gravissimè ac sapientissimè conscripta, ea


vos

vos omnia perfectè per Latinos quoscunque interpretes esse intellecturos. O Græcæ igitur linguæ præstantiam! O beatam Græcæ linguæ ad omne genus eruditionis atque ad omnes disciplinas perfectè acquirendas necessitatem! Atque unde putatis, bonas litteras, artes omnes liberales, optimas omnes disciplinas tandiu squallore ac situ obsitas, jacuisse, nisi ex neglecto studio litterarum Græcarum? unde bonas litteras erectas ac restitutas revixisse, atque refloruisse, nisi ex recreatis litteris Græcis, posteaquam nimirum Cosmus ille Medices senior, ejusque nepos Laurentius, afflictas tot jam sæcula Græcas litteras, ac propemodum intermortuas exsuscitarunt atque refecerunt? Quare, quòd in nobilissimo hoc ac florentissimo gymnasio, præ ceteris aliis Italiæ totius Academiis, bonæ omnes artes tantopere vigeant, atque efflorescant, quòd Pisæ, veluti alteræ Athenæ, propriâ quadam præcipuâque appellatione, doctæ vocitentur, quòd cursus facilis hic vobis, atque expeditus futurus sit, adolescentes, ad sapientiam atque ad universas doctrinas, debere vos beneficium hoc scitote litteris Græcis, ex quibus magistri vestri uberrimos doctrinarum omnium fructus ad eruditionem vestram retulerunt. Eorum ego vobis clarissima exempla propono, eos vos imitamini, ut, quemadmodum illi, Græcarum litterarum subsidio, summi ac perfecti in circuitu, & quasi orbe disciplinarum evaserunt, ita & vobis Græcas litteras ad summam rerum omnium scientiam pernecessarias existimetis.



ORA-

rum certè hominum ingenia tarditatis a quoquam insimulentur? Quæ verò ulla tam exculta humanioribusque omnibus artibus perpolita natio de ingeniorum acumine atque felicitate cum Etruscis hominibus contendat? quum paucos, & qui digito mostrentur, alibi locorum doctissimos viros enumeres; hìc verò in Etruriâ, hìc præsertim Pisis, in hac sede, in hoc musarum domicilio, tanta nunc sit, semperque antea fuerit maximorum ingeniorum ubertas, ut huc Athenæ commigrasse tandem videantur. Agite igitur, adolescentes ornatissimi, pudeat vos a majorum vestrorum gloriâ unquam deflectere, atque degenerare; pudeat, quam doctrinæ vobis atque sapientiæ laudem Patres vestri tradiderunt, non adæquare; pudeat Etrusco vos nomine censeri, & Etruscorum doctrinæ minimè respondere. Quid igitur vos a summâ disciplinarum omnium scientiâ retardat unquam ac remoratur? Patrium nomen vobiscum ipsi perpendite, & cogitate, quàm pacato otio, quantâque tum ceterarum rerum, tum optimorum studiorum commoditate, frui hìc Pisis vobis liceat ad universum hunc doctrinarum orbem brevi percurrendum. Universas has doctrinas spectate, ad has rectis studiis contendite, quarum mirâ atque incredibili suavitate labores in discendo vestri levabuntur. Quod meum fuit, hoc pro viribus exsecutus sum, ut videtis, ut, quibus possem argumentis, ad sapientiæ vos ac litterarum studia excitarem: facilis vobis ac brevis, reliquus erit omnium doctrinarum cursus, si id ipsum vobis persuaderi patiamini.



ORA-

ORATIO QUINTA.

De optimorum studiorum assiduitate.



UANQUAM, quæ in tantâ tractandorum argumentorum copiâ multò utiliora, & ad diei hujus celebritatem, atque ad litteras promovendas opportuniora, visa mihi semper sunt, ea, quàm potui, diligentissimè, sum ego quotannis in his litterarum studiis auspicandis oratione meâ persecutus; tamen fateor, tali ac tanto conatu meo id, quod mihi jam inde ab initio suscepti muneris proposueram, me nondum explevisse. Proposueram mihi, Auditores, summum in doctrinâ virum informare, & quam doctrinæ atque eloquentiæ formam omni ex parte perfectam atque absolutam animo meo conceperam, spectandam adolescentibus exhibere, cujus ipsi pulchritudine ad omne doctrinarum genus allicerentur. Neque verò inde aliud expectari posse videbatur, quàm quod unusquisque sibi vestrum certissimè pollicitus fuerat, summo ingenio adolescentes, sapientiæque amore mirificè succensos, altissimum doctrinæ atque sapientiæ gradum esse assecuturos: cum ecce vobis, stulta quædam ac falsa, quam plerique sibi adolescentes importunè induerunt, summæ doctrinæ ac scientiæ suæ persuasio de medio eos doctrinarum cursu, perniciosissimo sanè ac maximo errore, revocavit. Neque enim ulla alia bonis litteris atque doctrinis tam detestabilis pestis est, quàm putare, ad summam te ante doctrinam pervenisse, quàm perveneris. Teterrimam hanc ingeniorum pestem ut ab adolescentium nostrorum animis longissimè depellam, muneris mei esse duxi, hodierno die, in hac tantâ doctissimorum hominum frequentiâ, breviter demonstrare, quò quisque doctior est, atque eruditior, eò majori studio in omnem ei doctrinam atque eruditionem esse incumbendum. Quod in me est, conabor equidem nihil dicere, quod non dignum loci hujus amplitudine, atque adolescentium nostrorum studiis esse videatur.

 Ac

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONES

IN EUSTATHIUM

AD

DIONYSIUM PERIEGETAM.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIO PALEARINIANO.

ANNO REP. SAL. CIↃ. IↃCC. XLII.

CUM APPROBATIONIBUS.

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBER PRIMUS.


CAPUT I.

Johanni Ducæ inscripti ab Eustathio Commentarii in Dionysium. Titulus honoris, πανσέβαστος. Johannes Ducas, Andronici Camateri filius. Ducas, nomen gentis, & officii. Ducum dignitas. Codinus semel atque iterum emendatus. Τοῦ ἐπὶ τῶν δεήσεων munus. Sebasti dignitas Palatina. Ex Sebasto plures factæ ab Alexio Comneno dignitates. Magnus Drungarius, alius τῆς βίγλης, alius τοῦ στόλου. Magnus Drungarius alterius dignitatis accessione cohonestatus.



PROPOSITUM mihi in his libris animadversiones in Eustathium ad Dionysium Periegetam scribere; eademque simul operâ Dionysium ipsum Periegetam, & antiquam Geographiam, atque adeo, ubi res antiquitatis, & Geographiæ potissimùm, tulerit, Græcorum subinde Latinorumque scriptorum loca, commodùm illustrare. Inscripsit Eustathius suos in Dionysium Commentarios Johanni Ducæ, Andronici Camateri Filio. Titulus est in libris hujusmodi: Πρὸς τὸν πανσέβαστον Δοῦκαν κύριον Ἰωάννην, τὸν μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῶν δεήσεων, τὸν υἱὸν τοῦ πανσεβάστου Σεβαστοῦ, καὶ μεγάλου Δρουγγαρίου, κυρίου Ἀνδρονίκου τοῦ Καμάτορος, Εὐσταθίου διακόνου ἐπὶ τῶν δεήσεων, καὶ μαΐστορος τῶν ῥητόρων, τοῦ καὶ ὕστερον γεγονότος ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, ἐπιστολὴ ἐπὶ ταῖς Διονυσίου

tile est Φιλαδελφεύς· pariter atque Σάμιος & Μιλήσιος. Ferunt, Philadelphensem hunc Dionysium, διὰ λέξεως ἀκυρολογίαν, cognominatum Διάκονον. Codex Monilianus, Ὑπόκονον· quæ lectio magis arridet Henrico Stephano. Dionysii Periegetæ ætatem quadantenus significat id, quod præ se fert ipse Dionysius, sese vixisse οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων· nimirum ἐπὶ τῶν αὐτοκρατόρων. Exordiorum virtutes illæ, περιοχή, προσοχή, καὶ συμπάθεια· quibus nimirum auditorem docilem, attentum, ac benevolum facimus. Multæ Dionysiani hujus Poëmatis laudes, ac præsertim διὰ τὸ εὐκρινές· ὅπου γε καὶ τρόπους διδασκαλίας ὁ Διονύσιος ἐν πολλοῖς ἐκτίθεται δι' εὐκρίνειαν. Robertus Stephanus, τρόπους καὶ διδασκαλίας· quomodo etiam legisse videtur Abel ille, si Deo placet, Matthæus, quantùm certè apparet ex qualicunque illâ interpretatione ejus Latina. Henricus Stephanus expunxit τὸ καί· ita ut legeret, τρόπους διδασκαλίας. Quam lectionem ceteri secuti sunt. Rectè codex Monilianus, τρόπους τῆς διδασκαλίας.



ALE-

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Παρεκβολαί, Excerpta. *Vox Grammaticis, seu interpretibus, in primis usitata: quibus etiam in usu* Ἐπιβολαί. *Periegetæ Exordium sumptum ex Apollonio. Locus Pindari illustratus.* Ἄκριτα φῦλα, τὰ δυσδιάκριτα, *sive etiam* τὰ πολύκριτα. *Priscianus defensus.* Τὸ ἀ *non modò* κατὰ στέρησιν, *sed etiam* κατ' ἐπίτασιν. Ἡ οἰκουμένη κύκλῳ περιῤῥεομένη τῷ ὠκεανῷ. *Oceanus* ἀψόῤῥοος. Αἱ πλημμυρίαι τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ αἱ ἀμπώτεις *minimè ignoratæ Homero. Varia Etymologia* τοῦ ἀψόῤῥοος. *Orphei versus restitutus. Eratosthenis imitator Dionysius Periegeta. Terram Oceano undique cinctam, notum etiam Homero. Terram Oceano esse coronatam, eleganter dictum Dionysio. Oceanus, veteribus mare Atlanticum. Ptolemæus reprehensus. Neque tamen terra ab Oceano contenta* κατὰ περιφέρειαν ἰσοδιάστατον. *Herodoti error de Oceano. Ridiculi, quibus terra* κυκλοτερής, *tanquam ex torno. Terrarum orbis pilæ lusoriæ comparatus.* Ἡ οἰκουμένη σφαιρομήκης. *Fundæ eadem assimilata.* Ἡ οἰκουμένη *Straboni & Ptolomæo* χλαμυδοειδής. *Tota terra* σφαιροειδής. *Terra habitabilis in conos duos a Dionysio divisa, ideoque* σφενδονοειδής.


HACTENUS in limine versati sumus. Nunc interiora Eustathii ad Dionysium ingredimur. Ecce tibi Ἀρχὴ τῶν ἐκ τοῦ κειμένου παρεκβολῶν, καὶ λοιπῶν ἐπιβολῶν. Παρεκβολαί Græcis,

quæ

ticis etiam Τιγγάβαρι· unde & minium, τιγγάβαρι. Diocles:
ἡ μίλτος, οἶμαι, καὶ τὸ τιγγάβαρι. Μίλτος hîc dicitur minium,
quod & τιγγάβαρι. Lexicon Oratorium apud Eustathium: Τιγ-
γάβαρι καὶ μίλτος ἀναμεμιγμένη. Μίλτον hîc minium intelligi,
non rubricam, manifestum est ex his verbis, quæ statim sequun-
tur: οὗ τὴν ἐργασίαν φασὶ πρῶτον εὑρεῖν Καλλίαν Ἀθηναῖον.
Minium nanque, non rubrica, inventum fuit Calliæ Atheniensis.
Sic & μίλτος Straboni, minium Hispanicum. Sed μίλτον, mi-
nium dicere, ex usu fuit posteriorum temporum, cum, quod no-
men erat rubricæ, fuit tandem cum minio communicatum. Quan-
quam communiùs atque usitatiùs Græci, ut minium a rubricâ di-
stinguerent, vocasse illud videantur ἄμμιον. Quod me docuit Dio-
scorides lib.5. cap.109. Κιννάβαρι οἴονταί τινες ταυτὸν ὑπάρχειν
τῷ καλουμένῳ ἀμμίῳ, πλανώμενοι. Τὸ μὲν γὰρ ἄμμιον σκευάζε-
ται ἐν Ἰσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ.
Et cap. 110. Ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομέ-
νου, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τούτου κινναβάρεως λεγομένου. Constat, lo-
qui Dioscoridem de minio, ac præsertim Hispanico: & hoc voca-
tum ait ἄμμιον· perinde quasi sic Græci minium vulgò nomina-
rent, quod non nisi καταχρηστικῶς cinnabaris diceretur. Περὶ μίλ-
του, hoc est de rubricâ, agit postea Dioscorides. Ergo Græcis mi-
nium, propriè ἄμμιον· & μίλτος, rubrica. Contra verò Latini
minii aliquando nomine rubricam notarunt, nempe καταχρηστικῶς·
ut minium Sinopicum dicit Celsus rubricam ipsam Sinopicam. Et
hoc modo videtur mihi Isidorus minium, rubricam ipsam vocasse,
in his verbis de mari Rubro: *vicinis littoribus vitiatur gurges*
atque inficitur, quia omnis terra, quæ circumstat pelago, ru-
bra est, & sanguineo colori proxima. Ideoque inde minium
acutissimum excerpitur, & alii colores, quibus pictura varia-
tur. Minium hîc Isidoro, rubrica: unde Rubrum quidam mare
denominatum opinabantur. Artemidorus, ad sinum Arabicum,
a latere Ægyptum versus Troglodytico, ὄρος esse scripsit ἐν πε-
δίῳ μιλτῶδες, montem *rubricâ plenum*, ut bene μιλτῶδες red-
didit vetus interpres Strabonis. Hinc fortasse eruebatur *minium*
illud *acutissimum*, quod dicit Isidorus. Quo de eodem monte
hæc

hæc Agatharchides in Periplo Maris Rubri: πλησίον δὲ τῆς λίμ-
νης, ὑπερμεγέθει πεδίῳ βεβηκὸς ὄρος ἀναφαίνεται μιλτῶδες, ἄλλην
μὲν οὐδεμίαν ὑποδεικνύον ἰδιότητα, χροιὰν δὲ τοιαύτην ἀπὸ τῆς
κορυφῆς σημαῖνον τῆς ἄκρας, ὥστε τῶν ἀτενιζόντων τὰς ὄψεις ἐπὶ
πλέον βλάπτεσθαι. Eadem de monte hoc μιλτώδει Diodorus.
Rubricæ varia genera apud Dioscoridem & Plinium. Erat autem
& rubrica, seu μίλτος, Ægyptiaca. Plura nos de his ad librum β'
Iliadis. Hæc autem ad Dionysium Periegetam nunc satis: quæ ut
in manus hominum exire interea sineremus, facilè adducti su-
mus summâ apud nos auctoritate amplissimi & doctissimi viri,
optimèque de nobis meriti, Stephani Evodii Assemani, Ar-
chiepiscopi Apamensis.

F I N I S.



ΕΙΣ

ΕΙΣ ΣΥΓΓΡΑΦΕΑ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἥρως ἄκρε δοθεὶς θεόθεν γῇ, ὄφρα φανείη
Ὅσσης δὴ ἀρετῆς δεκτικὸς ἔσκε μέροψ.

Σοὶ φύσις ὤϊξεν ἑοὺς θησαυροὺς, χεῖρά τε, καὶ ἃ
Ἔσπορεν εἰν ἄλλοις πάντα ἔδωκε τεΐν.

Νοῦν ὕπερ ἠ σέθεν δ᾽ ἐπίη ἀλκιὼ τε λόγοιο,
Ἡ δὲ ἐπιστήμη σεῖο ἄμετρος ἔει.

Ῥήτορα ὅν σ᾽ ἑλλὰς γιγνώσκει κάλλεϊ γλώττης,
Ἐν σοὶ καὶ Ῥώμη ὃν Κικέρωνα βλέπει.

Εἰ τὰ πάλ᾽ ἱστορέεις, φαίνῃ τάδε ὅσσεσιν εἰδὼς,
Θεῖα γράφων φαίνῃ ἔμμεναι οὐρανόθι.

Μηδὲν τῶν ὄντων σοὶ ἄγνωστον· φρὴν σεο πάντα
Εἴδει, γνωστὰ λέγεις ξείνῳ ἅπαντα τρόπῳ.

Οὐδεὶς τῶν ζώντων σε ἰσοῖ, σὺ δὲ τοὺς τεθνεῶτας,
Εἰ μὴ ὑπερβαίνεις, τοῖσδε τῷ ὄντι ἰσοῖς.

THOMAS MARTINIUS
Ex eisdem Cler. Reg. Schol. Piarum.

EXCUDEBANT ROMÆ
NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
BIBLIOPOLÆ ET TYPOGRAPHI
AD THEATRUM POMPEII
ANNO CIↃ. IↃCC. XLII.
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
ANNO III.